

*Inscriptione MILes dicitur LEG. V. ET. XIII. Quis autem putabit unquam militem hunc duplex stipendium accepisse, eodemque tempore quintæ, & decimatertiæ legioni adscriptum fuisse? Nonne intelligi inde licet illum in quintâ primum, deinceps in decimatertiâ legione meruisse? Abeinæ igitur & Cantiaë Inscriptiones itidem explicari possunt; quum unica particula conjunctiva ET sufficere non videatur, ut illas duarum Urbium sacerdotium per idem tempus gessisse statuendum sit: potest enim sine ullâ controversiâ existimari, Cantiam & Abeinam ambarum Urbium sacerdotio diversis annis insignitas fuisse. Ac si concedendum quoque esset, memoratas feminas eodem tempore duplex Flaminium gessisse, unum ab alio susinetur exemplum; ita ut minime de conceptâ sententia decedere cogar: illud enim semper certum, immortumque restat, legendam continue Inscriptionem Flaminicæ Pisauri & Arimini, quod demonstrandum suscepi.*

*Ex iis, quæ huc usque deduximus, illud sequitur, ita distinguendos esse Abeinæ Balbinæ honores, ut Flaminica fuerit Pisauri, & Arimini: Patrona vero Municipii Pitinatium Pisarensum; MVNICIPII enim in Inscriptione ponitur pro MVNICIPII, quemadmodum alibi Pompeii pro Pompeii, Virgili pro Virgili, & apud Horatium ingeni pro ingenii. Cellarius Geogr. Ant. lib. II Cap. 9. p. 595. ed. noviss. post Cluverium duo Pitina distinguit. Primum in Piceno fuit, ejusque meminit Plinius lib. II c. 103. in agro Pitinate trans Apenninum fluvius Novanus, omnibus solstitiis torrens, bruma siccatur: Nomen, & vestigia supersunt duobus paullo plus passuum millibus a Civitate Aquila in loco, qui vulgo dicitur Torre di Pitino; Veterum Vestinorum Urbis fuit, quemadmodum tradit Ptolemæus Vomagano, quum veteres Novanum dicebant, anni proxima; ita L. Holstenius in Notis ad Cluver. & Harduinus in Comment. ad Plinium.*

*Alterum Pitinum in Umbria fuisse docet nos Ptolemæus Geogr. lib. III. c. 1. Pitinum Pisarense dictum fuit, quod prope Pisaurum, sive Isaurum amnem, quem bodie Foglia appellant, situm erat, Cluverius Ital. Ant. lib. II. c. 16. Pitinum Pisarense ibi olim fuisse existimat, ubi nunc Maceratæ, quam Feltriam ad distinctionem Picenæ vocant, oppidum conspicitur. Secus sentit Fabrettus Inscr. p. 658. qui Maceratam, quum tribus circiter milliariis a Foleâ, seu Pisauro flumine distet, vetus Pitinum fuisse negat: in eum vero errorem ideo Cluverium incidisse docet, quod anonymum quemdam torrentem, ad quem jacet Macerata, pro Isauro, in quem ille se exonerat, acceperit. Tamen, ut verum*